

Magister frater Ioannes de Guevara huius prouinciz Castellæ sacri Ordinis Eremitarum D. Augustini prior prouincialis, Magistro Fratri Petro de Aragon eiusdem Ordinis, & voti Salutem. Plurimum honoris & sanæ utilitatis non parum toti ordini nostro iam pridem Magistri nostri parere potuissent, si operas suas quas laborioso peruigilio elucubrarunt, in lucem ederent. Quod si fecissent, & totum ordinem, & me præcipuè ingenti beneficio deuinxissent: qui quo ad potui nihil vnquam in votis magis habui, quam ut nostrorum fratrum labores typis excusuli in manus hominum irent, priusquam ab alijs cum dedecore nostro (idest sine scenore eius gloriæ, quam lucrari possemus) emitterentur. Quare quod Commentarios in Secundam partem Secundæ partis D. Thomæ à te compilatos, & elaboratos publicos facere institueris, non potest non acceptissimū, & gratissimum esse mihi. Age ergo & cura ut breui prodeant, & perge quemadmodum atque cœpisti, ut ea quæ super reliquum Secundæ partes Secundæ D. Thomæ collecta habes, aut paras colligere, mundo fiant communia. Quod ut diligentius exequaris & libentius, iniungo tibi præceptum salutaris obedientiæ, & eiusdem tenore præcepti strictè præcipio, nemo ut ausit ex nostræ prouinciz fratribus, tibi esse impedimento, aut huic copiz quam tibi indulgeo, quoquo modo contraire. Subibunt autem isti tui Commentarij prius censuram Magistri Fratris Michaëlis à Sanctis, cuius approbatione habita, iuxta nostrarum constitutionum tenorem; excudipoterunt. Dat. Burgis. Idib. Augusti 1583.

Valeat sic.

Frater Ioannēs de Guevara
Prior Prouincialis.